Constantino Hugenio
τὸ ξύλον τορνεύοντι
Caspar Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Non iam te Equitem Britannum, Constantine Hugeni, non summi Principis Secretarium, non Caesarei iuris consultum, non Pieridum alumnum compello. Nobilitatis, doctrinae, magnanimitatis, omnisque praeterea heroicae virtutis appellatione minor es, qui summa ista fastidire coepisti. Tot apud me dignitatibus excidisti, tot amisisti titulos, tot honorum et laudum nomina detrivit perlatum hesterno die ad me de te, studiisque tuis nuncium. Itane manus illas profanare audes, quibus Principum responsa expedis? profanare oculos, Barlaeae tuae illices? profanare genua, quae Regibus flexisti? pedes, quibus tot aulas conscendisti? digitos, nobilioris et perennantis calami directores? membra omnia, ad splendorem, Gratiarumque et Musarum lepores ac delitias comparata? Quae haec rerum nova facies? quae stupenda metamorphosis? Non ita me versus Lycaon, non lapidescens Niobe, non latrans Hecuba, non virescens Daphne afficit, uti Hugenius τὰ ξύλα τορνεύων. In olores, serpentes, flumina, pisces, montes ipsos mutatos homines legi. Iureconsultum in operarium, Equitem in sedentarium, Secretarium in opificem, nobilem in mechanicum, poetam et praestantissimorum carminum fabrum, in fabrum lignarium, in tornitorem vel toreutam (hoc artis proprium nomen est) mutatum nunquam legi. O tempora, ô mores. Quam verum illud Satyrici:

Si fortuna volet, fies de consule Rhetor.

En: Cum fortuna volet, factus de vate toreuta es.

nisi non tam fortunae hoc ipsum, quam rationi adscriptum velis. Studio enim mihi videris aut illustre vitae genus cum vulgari hoc ac ignobili mutasse; aut maxime disparata vivendi genera, ut mirabilior haberis, in te consociasse. Ergò, cum vis, ad aulae te mores curasque componis; cum vis, turbam Remi sequeris: cum vis, quantivis es pretii; cum vis, nullius: iam nobilium ordini, iam plebeio insertus: iam otiorum, iam laborum amans: iam honorabilis, iam mercenario similis. Inopinatum erat Iudaeis Saulum inter prophetas fuisse. Mihi inopinatum magis Hugenium asciam, scalprum, dolabram tractare. Stratonicus citharoedus regi Ptolomaeo aliena à regno tractanti respondit: Alia res sceptrum, alia plectrum. Quam ego verius

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 23
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/401

dixerim tibi; alia, ô Constantine, res plectrum, alia scalprum et tornus.
Etiam in te quadrat proverbium illud: ᾄδειν πρὸς ἔπος. dixissem pene et illud in te quadrare: ᾄδειν πρὸς τὴν χορδήν, nisi expensis propius artis tuae utensilibus comperissem, circa chordam te quam maxime versari, et quidem, quod in vitio positum est, eandem.
De Silenis Alcibiadis audivisti. Imagunculae erant, quae clausae ridiculam tibicinis speciem exhibebant, apertae numen aliquod ostendebant, ut artem sculptoris gratiorem iocosus faceret error. Tu quoque domi clausus, et in aedium tuarum fastigio delitescens imaginem tuis exhibes restiarij et vascularij. Sed dum apertis foribus populo te Principique tuo ostendis, gratior, illustriorque es. Sed quam miror istam partim restiariam, partim lignariam artem placuisse homini ad bonum publicum nato et educato. Si aerarius faber aes Corinthiacum pulsares, non eruditionis solum tuae virtutumque, sed et tam clarae et sonorae artis strepitu vicos compitaque impleres. Si architectonicam selegisses, minus alienam à Politicae studijs elegisses, cum hanc architectonicam, metaphorica appellatione, indigitet Aristoteles in Ethicis ad Nicomachum. Si Cyclopicam: scutum Principi tuo fabricare posses, quale Aeneae fecit Vulcanus, bellorum nostrorum et tot triumphorum imaginibus caelatum. Si figulus esses: pro te in promptu foret allegare regis Agathoclis patrem. Jam vero, quo nomine hoc genus artificij laudem, nescio. Laconem quendam, cum Lampen Aeginetam laudari audivisset, quod praedives esset, et multorum navigiorum dominus, respondisse ferunt: non moror felicitatem ex funibus pendentem. ^ Quid? quod nullam tibi ac nomini tuo dissimilem magis noverim. Non stas artifex, sed sedes: non constas tibi, Constantine, sed in perpetuo motu, Ixionis instar, caelum inter terrasque, manus, pedes, brachia moves, et libras. Verum, ne et hic, quod rogarant, Scepticis deesse putes, dicam ea, quae pro tua arte adduci ab illis possunt. Illorum hoc foret pronunciatum probabile: Non minus laudabiles, quam vituperabiles esse teretes.
Vel ob hoc; quod res scibilis credatur, mutare quadrata rotundis, odere autem homines natura stare desiderent:
Vel ob hoc, quod generosiores animae motu, uti illi, gaudeant;
Vel ob hoc, quod ipsam hominis animam Cicero ἐνδελέχειαν, sive perpetuam motionem definiat:

^ Nec ego tuam istam artem à funibus superne et inferne pendentem.

Vel ob hoc: ut cum Horatio moneant, male tornatos incudi reddere versus:

Lib. 8. Epigr. 33. et 51. Vel ob hoc: ut eruditissima Martialis epigrammata de phiala subtilissima Paulli, et Rufi mordeantur:

Vel ob hoc: quod hominis doctrina, moribusq. imbuendi methodum exhibeant. Uti enim rude lignum securi primum resecant, mox dolabra levigant, denique tornando subtilissimis gyris perficiunt et efformant: ita hominem resectis barbariae ac vitiorum nodis sensim magis magisq. accuratiore disciplina expoliendum docent.

Addam plura. Vel ob hoc, quod equitibus analogos motus edant, dum ligno suo suppedaneo artificiose inequitant, et minus obsequentem illum equum iteratis pressionibus, velut calcaribus, fodiant:

Vel ob hoc denique, (ne quid dicam απροσδιονυσον) quia crateres seipsosq. formant, quibus Dii hominesq. πινουσι αιθοπα οινον.

Vale Hugeni dilectissime, et haec soli tibi scripta puta, quin, si ita visum, tibi lecta inter nos pereant. D. Brosterhuysio hanc ingenii mei lasciviam imputa. Is enim ad illa tua sacra admissus vastum tuum et omnis disciplinae artisq. capax ingenium in occulto latere passus non fuit. Ne vero me iocularia solum meditari existimes, scripsi his feriis Canicularibus Hymnum in Christum ad Christianissimum Regem, versibus heroicis pene nongentis. Verum cum intempestivum videatur Regi bellis implicito pacis autorem obtrudere, editionem in aliud tempus differam: nisi quid tu, summique virorum dissentias. Iterum vale, et uxori tuae dilectissimae a me salutem. Quid puer Ascanius? superatne, et vescitur aura Aetherea?

~~Lugd.~~ Bat. vi Calend. Sept. CIƆIƆCXXVIII.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 23
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/401

Aen mijn heer
mijn heer Constantinus
Huygens Secretaris van zijn
Ex^tie woonende inde middelste
Houtstraet

Haghe

Barlaeus de Tonno.

port,

29. Aug. 28.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 23
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/401